Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.

Wien, 1794 Seite 2897

Quelle:
Copyright:

bitum *in Paſchate* remittit. Adhaeret *Dyoniſii oracio coram ſacramento* pariter bohemice.

IX. *fol.* 165. *Queſtio Magiſtri Jacobi de Miza.* Eſt Tractatus de Exiſtentia Corporis et Sanguinis Chriſti in Euchariſtia, prout indicatus *Codd.* pluribus, quos quaere in *Indice*, hoc initio: *Utrum ex fundamento ſcripture ſacre et Teſtimonio antiquorum ſanctorum poſſit oſtendi. uel credi debeat* &c.

X. *fol.* 283. *Incipit Omelia Euſebij de Corpore et ſanguine domini noſtri Ihesu Chriſti.* Initium: *Magnitudo celeſtium beneficiorum anguſtias humane mentis excedit* &c. Eſt *Quinta in Paſcha* inter *Homilias Euſebio Gallicano* Ep. tributas T. VI. *Bibl. PP. Lugd.* p. 636. cujus etiam nomine jam a *Gratiano* et *Paſchaſio Radb.* citatur, quamvis Codex S. *Germani Pariſ.* nomen *Iſidori* praeferat. Adhaerent Excerpta quaedam ex *Ambroſio de Sacramentis* et *Baſilio M. de dignitate Sacerdotii.*

XI. *fol.* 287. *De Veſtibus ſacris.* Ventilatur et deciditur Quaeſtio: *An Sacerdotes chriſti poſſunt ſacras miſſas eo ritu quo nunc per orbem geruntur in vaſis et veſtibus. non ad uſum communem. ſed ad ſacrificandum ſpecialiter deputatis circumſcripto ab eis omni peccato, licite et meritorie celebrare? Quod ſic patet* &c. *Joh. Przibramii*, ut *Codd.* CCCCXXIII. et alibi. Ita ingenium Novaturientium, quae per ſecula viguere, tanquam heri inventa in medium protrahit, et dum ea rationibus conſtabilire ſimulat, labefactat potius et perturbat, cujus rei teſtes ſunt tot Quaeſtiones aevo *Huſſi* in *Bohemia* motae, quae paſſim in Codicibus noſtris occurrunt. In decurſu inter medios ſacrae Antiquitatis Scriptores citatur *Doctor Evangelicus*, i. e. *Joh. Wicleffus.*

XII. *fol.* 290. p. 2. Contra venerationem Imaginum. Congeruntur Loca e ſacris Literis, quae Idololatriam petunt. Legitur tamen: *Si nonnulli ex predeceſſoribus et maioribus noſtris fecerunt aliqua. que illo tempore potuerunt eſſe ſine culpa, et poſtea vertuntur in errorem et ſuperſticionem. ſine tarditate aliqua et cum magna auctoritate a poſteris deſtruuntur.* Initium: *Nota adorantes etiam in ymaginibus picturis manufactis* &c.

XIII. *fol.* 291. p. 2. *De Bello.* Initium: *Cum in iſtis temporibus periculoſis vndique bella ſtrepant et craſſetur plus ſolito gladius* &c. Exponuntur IX. conditiones Belli juſti.

XIV. *fol.* 296. *Tractatulus de Confeſſione.* Incipit: *Decretum Auguſtini de penitentia diſt. 6. c. 2. vult confiteri peccata ſua ut inveniat gratiam. querat ſacerdotem ſcientem ſoluere et ligare* &c. Totus *Wicleffum* ſpirat, quamvis non compareat inter Ejus Scripta a *Baleo* et *Tannero* enumerata.

XV. *fol.* 310. absque inſcriptione Tractatus, qui probandum adſumit, Subſtantiam Panis remanere cum Corpore Chriſti in Euchariſtia et incipit: *Confiteor antiquam fidem apoſtolicam eccleſie* &c.